

Perusii,  
19, 20, 21 junii.

Gregorius papa rectoribus et populo Gaietano diversa privilegia quasi dominus terrae concedit, inter quae jus eligendi potestates, jus galearum, jus monetae, aliaque ibidem expressa.

(Inedit. in Collect. Bibl. Paris., ann. III, epist. 26, 28, 29.)

Gregorius, etc., rectoribus et populo Gaietano, etc. Venientes ad nos dilectos filios Johannem dictum Cabotum et Petrum Bulgaminum cives et nuntios vestros viros providos et discretos benigne recepimus et intelleximus diligenter. Cum autem ad vos sicut pater ad filios sincere dilectionis habeamus affectum ac per hoc utilitatibus vestris libenter tanquam propriis intendamus, petitiones vestras in quibuscumque cum honestate potuimus studuimus exaudire. Verum bajulationem et plateaticum civitatis vestre ac burgi Molarum cum omnibus justitiis et redditibus curie debitis ad manus nostras duximus retinenda, gerentes in proposito super aliis oportuno tempore providere, prout utilitati vestre, salvo honore Ecclesie, videbimus expedire. Monemus igitur universitatem vestram per apostolica scripta mandantes quatenus in fidelitate ac devotione sedis apostolice de bono semper in melius proficere studeatis, ita quod ipsius dilectionem et gratiam magis ac magis promereri possitis et nos in opportunitatibus vestris vobis favorabiliter assistere debeamus.

Datum Perusii, XIII kalendas julii, pontificatus nostri anno tertio.

[Sequuntur litterae aliae eisdem directae quibus ipsos, civitatem et bona eorum sub protectione sua recipit, et in suo demanio perpetuo retinendos declarat. Item aliae quibus eisdem immunitatem per totum regnum a prestatione pedagii, passagii, falangatici et dationis concedit. Datum Perusii, XII kal. julii, pontificatus nostri anno tertio].

Gregorius, etc., civibus Gaietanis fidelibus nostris, etc. Sedes apostolica veluti pia mater que filiorum uteri sui oblivisci non potest, intrante sepe

in conspectu suo gemitu tribulationum multarum quarum tempestas vos et alios homines regni graviter huc usque depresserat et pene demerserat in profundum, materno affectu compatiens afflictionibus filiorum qui quasi in luto et latere coacti fuerant deservire, desiderio desideravit ut jugo ab eorum cervicibus tam dure servitutis excusso finem iis dare Dominus dignaretur. In effectu quoque producens quod in affectu gerebat in se suscepit negotium et submisit humeris ad portandum, pro quo quidem exposuit se laboribus et expensis innumeris et personis etiam suorum fidelium non pepercit languores ferens per hoc et portans dolores hominum predictorum. Cum igitur reducti sitis ad fidelitatem et dominium Romane Ecclesie ad quam non erat dubium vos spectare, adherentes sicut subjecti et fideles eidem cujus saave jugum et onus ejus est leve, ac per hoc non illius que in servitum generat sed libere filii existatis, dignam est ut ab uberibus consolationis sedis apostolice matris et domine vestre amodo recreemini, gaudentes cum letitia qui in tristitia extitistis. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris comamodis providere volentes, cum Romana Ecclesia clementer prospicere consueverit utilitatibus subjectorum, vestris supplicationibus inclinati de communi fratrum nostrorum consilio et assensu concedimus in præficiendo potestates, consules et rectores et in omnibus aliis libertatem quam habet a sede apostolica civitas Anagnina; immunitatem quoque per totam regnum a prestatione passagii, pedagii, falangatici ac dationis que directas vulgariter dicitur ad curiam pertinentium et medietatem eorum que pro offensis debentur cum magistratu potentiatus galearum a Policastro usque Gaietam de gratia vobis concedimus liberali. Cudendi etiam monetam argenteam ubi ex una parte imago capitis beati Petri cum superscriptione civitatis vestre, ex alia vero in medio pape et in circulo superscriptio nostri nominis habeantur, et ampliandi civitatem vestram vel edificandi novam in monte sancti Martini prope posito liberam vobis concedimus facultatem, ita quod pro moneta quolibet anno cum eam cudere contigerit quinquaginta tarenos auri nobis et nostris successoribus persolvatis. Insuper omnes libertates omnesque laudabiles consuetudines quas habuistis tempore clare memorie Guillelmi in creandis consulibus, iudicibus et aliis officialibus annuis ac notariis, in

cognitione ac terminatione causarum, necnon et in duana salis, in portibus quoque scilicet in Patria et ab ea usque Cannetum, in vendendo scilicet in eis salem et emendo et contrahendo inde victualia et in deferendo libere Gaietam, labores hereditatum quas vos et ecclesie civitatis vestre habetis in comitatu Fundano, ac in defendendo vos ab inimicis vestris extra regnum et pacem faciendo cum ipsis; Pontionam et insulam Palmeriam, Sennonem, Pantateram et sanctum Martinum cum piscariis et tenimentis suis, sicut tempore memorati regis habuistis easdem, et generaliter omnes bonas consuetudines vestras, salvo omnibus justitiis et redditibus curie debitis pro quibus recipiendis aliquis de terra vestra ponatur per sedem apostolicam idem vel alius annuatim, vobis auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Ubi que vero per regnum salvi sint cives vestri quos naufragium pati contingeret, et ne offendantur in personis vel rebus districtius prohibemus. Interdicimus etiam ne in civitate vestra vel extra in tenimentis ipsius castrum seu munitio aliqua construatur. Quandocumque autem Romana Ecclesia stolium facere voluerit, civitas vestra ei tenebitur pro una galea sufficienter dare numerum armatorum; corpus vero galee cum apparatu ipsius, mercedem et alia necessaria hominum sedes apostolica juxta regum consuetudinem exhibebit, salva in omnibus sedis apostolice auctoritate ac salvo ecclesiarum libertatibus et juribus earundem. Nulli ergo etc., nostre protectionis, constitutionis, concessionis, confirmationis et inhibitionis infringere. Si quis autem, etc. (4).

Datum Perusii, XI kalendas julii, anno tertio.

---

(4) Extant in ejusdem anni Regesto aliae litterae Gregorii ad diversa regni loca directae: scilicet n° 46, civibus Suessanis super civitate ipsorum in dominio Ecclesiae perpetuo persistenda. Dat. Perusii, X kal. junii (23 maii); — n° 49 et 50, R. subdiacono et capellano suo super custodia arcis Bandre et in eundem modum abbati Cassinensi et eidem R. germano ejus pro arce Cassinensi et arce Janule. Dat. Perusii, V kal. septembr. (28 augusti); — n° 54, populo Sorano fidelibus suis super protectione ipsis et civitati eorum indulta. Dat. Perusii, V kal. septembr. (29 augusti).